

344

342

348

338

353

333

393

293

443

243

Ende

Anfang

sicut turris, cum duplicatis columnis sex, habentes in altitudine II cubitos, qui sustentant culmen tabernaculi, quod habet in altitudine unum cubitum. A supremo vero culmen illius tabernaculi mensurando per aerem sursum usque ad aperturam tecti, quod supra monumentum patet, per quam lux in tempulum intrat, sunt forte VI cubiti, et illa apertura est rotunda, et adeo lata, sicut tota domuncula monumenti, ita quod, si ipsa domuncula mobilis esset, et sursum traheretur, per ipsam aperturam posset extrahi. Ex quo patet, quod monumentum Domini stat sub dio, ita quod pluit et ningit per praedictam aperturam super eum. Porro ipsum tabernaculum subtili scheme est fabrefactum de polito marmore, et intus et extra cum columnis et culmine fuit deauratum, sicut hodie patet, quod a fundamento templi usque ad summum culminis tabernaculi monumenti sunt in altitudine V et dimidium cubiti, a fundamento vero usque ad aperturam tecti sunt XII cubiti, aut paullo plus. Porro, ante introitum monumenti est atrium quoddam, habens in latitudine tres cubitos, minus uno palmo. Ostium primum domunculae est in medio, habens in altitudine I cubitum magnum, et III palmas cum dimidio. Capella ante speluncam tumuli, quae est spelunca prima, habet in latitudine unum et dimidium cubiti, et in longitudine totidem, et in quolibet latere unam parvam fenestram quadratam. In eadem spelunca anteriori tribus palmis ab ostiolo speluncae interioris est supra fundamentum elevatus lapis quadratus, qui habet per quadrum II palmos et dimidium, super quem dicitur angelus sedisse post Domini resurrectionem, qui lapis est pars illius magni lapidis ad ostium monumenti revoluti, de quo lapide patuit supra fol. 102. B.

Ecce, illa est dominici monumenti descriptio, prout hodie stat; et haec descriptio ad oculum patet in peregrinali, quod fecit magnificus et ingenuus vir, Dominus Bernhardus de Brattenbach, decanus metropolitanae ecclesiae Moguntinensis, qui fuit comes meae secundae peregrinationis, in quo artificiali effigiatione fecit figuram dominici monumenti depingi, sicut et alia, ut patebit. Recepérat enim secum ingeniosum et eruditum pictorem, quem pretio conduxit, qui a venetiano portu et deinceps potiorum civitatum et locorum habitudines et formas figuraret, quod et magistraliter et proprie fecit. Cui ergo